



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 1. Nomen.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

fidibus intenduntur, *Strabo*. Ter tantum in vitam lauantur Dardani post partum, cum nuptias ineunt, & cum mortem obierunt, *Ælianus cap. 1. lib. 4. variarum*. Cum Scordiscis iuncti Macedoniam, & Græciam depopulati sunt, immo & Delphicum templum Apollinis inuaserunt, unde cum damno repulsi sunt. Cum eos inuadere cogitaret Lucius Scipio, auro corruptus fœdus cum eis pepigit, unde initium bellorum ciuilium credit exortum esse *Appianus in Illyricis*.

N V M. 4. Scythæ in inferiori Mœsiâ collocantur, quam Iordanes *Minorem Scythiam*, Zosimus *Scythiam Thracensem*, Plutarchus *Scythiam Ponticam* dixere, ut & eius incolas, *Celto-Scythas*. Ab Homero dici videntur *Διγαίοτατοι*, & Ephorus tradit ex eâ gente natum Anacharsidem. Idem Homerus *εὐρύμυς* appellauit, qui omnia habeant communia, etiam liberos, & uxores, præter gladium & poculum. Erant præterea simplices, ac minimè fraudulentæ, ideoque fortè dicti *ἄλιοι*, sed à vicinis deprauati sunt nonnihil. Hæc *Strabo lib. 7*. At *Plinius lib. 4. cap. 11*. innuit hos Scythas Arotæres dictos esse: videlicet quia terram arabant contra aliorum Scytharum viuendi rationem.

N V M. 5. Iazyges Metanastæ origine sunt Sarmatæ, ut ostendimus in Sarmatiâ: qui cum eam occupassent regionem, & patrium seruarent morem, ut curribus impositi nouas subinde mutarent sedes, dicti sunt *Μετανοῦντες*, hoc est *domicilia mutantæ*, seu *habitationem*: & eorum vestigia remanent in regiunculâ Transylvaniæ quæ adhuc *Ias*, vel *Iazaph* appellatur. *Iazis* etiam ab Ouidio dicitur in singulari 4. de Ponto.

### §. 3. De Danubio.

#### N V M. 1. Nomen.

PRIMUM dictus est Seythicâ lingua *Ματοας*, que vox *ἄσπις* *innocentium* sonat, quod sine periculo transmitteretur: sed cum semel in eo cladè accepissent Barbari homines cum *Δάσκιω*, seu *Δάσκιω* appellarunt: certè τὸ *Δάσκιος* ex Plutarcho apud Macedonas *Mortem* sonat. Cato in originibus dictum esse vult à Danis qui iidem sunt cum Dacis: alij recentiores metathesi *Danouim* pro *Abnouim*, ab monte Abnobâ Germaniæ unde existit: alij denique à voce Saxonica *Tonau*, seu *Sonitu*.